



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 26. Varia Astronomorum sententia circa hanc emendationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

grediebatur, propterea celebriores Uni-
 versitatum Italicarum Astronominos in
 consilium vocabat, simulque datis ad
 Venetum Senatum literis Patavinæ
 Academiæ Doctores rogabat, ut & ipsi
 hac super re suas edicerent sententias:
 insuper plures alios Viros eruditos Ro-
 mam accersebat, ut hi cum ceteris
 conferrent.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1582.

§. XXVI.

*Varia Astronomorum sententia circa
 hanc emendationem.*

Attamen circa modum hanc correctio-
 nem instituendi diversa admodum
 erat Astronomorum sententia; nonnulli
 enim existimabant, quatuordecim, aut
 quindecim dies esse subtrahendos, ut
 æquinoctium ad vigesimam quartam,
 vel vigesimam quintam Martii diem, in
 qua tempore reformationis Julianæ, &
 in Nativitate Domini nostri Jesu Christi
 occurrebat, reverteretur, nam hac ra-
 tione putabant fieri, ut non modo Pa-
 scha, ceteraque festa mobilia simul ad
 statutos suos dies, sed etiam festa fixa
 ad idem reduci possent tempus, quod
 Ecclesia ipsis olim præfigere voluit, sic-
 ut Incarnationis Dominicæ festum ad
 æquinoctium Vernum semper celebrari
 voluit.

D 2

Alii

Sæcul. XVI.
A.C. 1582.

Alii econtra Astronomi affirmabant, quod hæc subtractio in Bissextis facienda esset, atque ab illis intra quadraginta annorum spatium decem dies forent auferendi, cum hæc subtractio non tanti momenti esset, ac ferme nullam in Ecclesiasticis Officiis mutationem induceret. Non deerant alii, qui hanc eandem subtractionem a longioribus anni mensibus ita esse faciendam censebant, ut duntaxat a quovis mense, qui dies triginta, & unum numeraret, postrema dies auferretur, cum id intra biennii spatium effectui dari potuisset: verum cuncta hæc remedia nondum eo conducebant, ut æquinoctia ad suum reverterentur terminum: ad obviandum ergo huic quoque errori idoneum existimabant plures, si intra annos centum triginta, & unum dies unus demeretur, aut saltem unus in quodam ex illis annis, qui fluunt intra spatium, quod inter centum viginti octo, & centum triginta quinque annos intercurrit, dies præcidatur, idemque annus Bissextilis sit. Autumabant alii, quod intra quadringentos annos tres Bissextiles auferrentur, quæ sententia proxime ad primam Astronomorum opinionem accedebat, quamvis ii, ut majorem confusionem declinarent, hanc subtractionem in cujuslibet sæculi fine facien-

faciendam censerent, excepto quarto, ut more solito Bissextilis dies servaretur: insuper opinabantur nonnulli, cuncta festa mobilia certæ diei esse affigenda, ac præprimis perpetuo ritu Paschatis festum illa Dominica, quæ diei vigesimæ quintæ Martii proxima est, esse celebrandum, adeo, ut omnia festa intra unius septimanæ ambitum restringerentur, cunctaque a fixa die Incarnationis Dominicæ derivarentur, prout hodiedum Dominicæ, atque Adventus feriæ juxta fixam Nativitatis Dominicæ diem ordinantur.

§. XXVII.

Gregorius XIII. Papa Aloyfii Liliæ Systema amplexus.

Postea summus Pontifex ad Franciæ Regem literas dabat, ut pariter Francisci Fuxii Candalæ, Viri tam scientiarum laude, quam generis nobilitate clari sententiam hac in re exploratam haberet: hic vero ipsam hujus erroris originem esse investigandam, annumque exacte computatis momentis juxta solis cursum esse coordinandum, hacque ratione terminos æquinoctiis præfigendos censebat: cum vero interea Pontifex diversorum sententias colligendo intentus esset, Aloyfius Lilius Romani Medici Filius, ac Vir lon-

Sæcul. XVI.
A C 1582.

Thuan. l. c.
Blondel l. c.
Bull. Const.
74.